

contumulata fuerat, tamen casu liberata, & ad maritum reuersa, longo post tempore cum eodem vixit. Nam cum is qui sepelierat, anulum in digitis sepultæ relictum reserata noctu fossa auferre vellet, motu illo & cōtrectatione resuscitata animula, quæ separata credebatur, quum esset sopita tātūm, reuixit. Postremò noui quēdam pauperulum Tolosæ in Aquitania, qui eodem modo sepultus, sed neque capsula inclusus neque obiectus humo rediit ad vitam, quā falsò putabatur amisisse, quin potiùs diuturno deliquio comprehensus fuisset, eo quidem tempore, quum peste plurimi indies occūberent. Quid dicam plura? Non est facilè inter tam periculosa & ingentia mala non desipere. Quare prudenter simul & humaniter agendum est, ne dum illorum salutem tueri volumus, horum vitam temerè prodamus.

De cæmeterio extra urbem collocando, extruendiq; ratione.

C A P V T V.



ESTAT vt de sepultura loco, qui ob quietem, qua in terra depositis corporibus æternam vitam cum Deo & beatis angelis expectamus, κοιμητήριον appellatur, ali-

quid quoque dicamus: de quo cùm medicorum propè omnium sententia sit, funestas contagio-
sasq; exhalationes inde existere, quæ aerem vi-
tiant, putredinèq; mirificè augeant (vt etiã
in salubris diætæ obseruatione domicilia, longè
distare à cœmeteriis velint) erit quoque istæ
cura conseruatoribus sanitatis suscipienda, vt
collato consilio sumtúq; cœmeteria extra urbè
in loco accommodatissimo instaurent. Quæ res
præter utilitatem, non parum quoque faciet ad
tuendam publicam honestatem, ac ad prohibè-
dam profanationem, Christianis ciuitatibus
prorsus indignam & intollerabilem, vt elegan-
ter & grauitè à M. Luthero alicubi scriptũ est,
cuius verba, quia digna iudicaui quæ hîc infere-
rentur, Latinè hoc modo reddere volui: Princi-
piò (inquit) hoc medicorum iudicio disquiren-
dum relinquo, qui rem hanc meliùs, quàm ego,
intelligunt, vtrum absq; periculo fiat, in ambitu
urbium cœmeteria haberi, an non. Nam equidè
nescio, an ex sepulchris vapor aliquis hauriatur,
qui aerem possit vitare. Quòd si verò ita sit, sa-
tis causæ id fuerit, vt extra urbis pomœria ex-
truantur. Dictum enim est nobis paulò antè, om-
nes omnino teneri veneno resistere, cùm
Deus ipse nobis præceperit, corporis vitæq; no-
stræ nos curam gerere, & quando aliud non iu-
bet, à periculis nobis cauere: rursus magno ani-
mo pericula contemnere, cùm res postulat, vt i-
psi vni tum ad viuendum, tum ad moriendum
parati

parati videamur. Nemo enim sibi viuit, nemo
 tiam sibi moritur: quemadmodum D. Paulus in
 epist. ad Rom. cap. 15 loquitur. Hoc verò mihi
 certò constat, apud veteres tam Iudæos, quàm
 ceteras gentes, tam pios, quàm impios, hunc mo-
 rem fuisse, vt monumenta sua extra urbem ha-
 berent, qui tamen non minùs intelligentes sa-
 pientésque homines fuerunt, quàm nos. Quod
 dixi, Lucæ Euangelium indicat, dum Christus
 viduæ illius filium pro ciuitate Naim à morte
 excitaret. Textus enim ait, extra urbem delatū
 fuisse ad sepeliendum, & multos comitatos esse.
 Vt non sit dubium, vel hac illius loci consuetu-
 dine, loca sepulturæ illis hominibus extra urbis
 mœnia fuisse: sicut & ipsius Christi sepulchrum
 extra urbem Ierosolymitanam fuisse constat. Et
 Abraham emit sibi peculiaré locum in agro E-
 phron, vbi omnes patriarchæ sepeliri consueue-
 runt, vnde & originé habet vox Latina, vt mor-
 tui efferri dicântur, hoc est, ex oppido ferri, quod
 nos ad sepulturâ defferri dicimus, quamuis gen-
 tes etiâ quædam exurere cadauera solebât, & in
 cineré redigere, ne quid superesset, quod aerem
 redderet impurū. Hoc fuerit ergo meum confi-
 lium, vt imitâtes horū exēpla, cœmeteria quoq;
 nostra extra vrbes cōstrueremus. Et certè quo-
 modo nostrum VVitebergæ situm est, meritò
 non solùm necessitas, sed etiam honestas & pie-
 tas nos monere, imò cogere deberent, vt fo-
 ris aliud institueretur. Nam prorsus decet

eiusmodi locum venerandum & in tranquilla
 parte esse, remotumque à via publica, utpote in
 quo aliquis cum religione quadam versari, mor-
 tem, resurrectionem, vltimumque iudiciũ me-
 ditari posset & precari. Honorificus (inquam)
 & sanctus locus esse debuit, ut nemo nisi cum ti-
 more ac verecundia ingrederetur: cum sit credi-
 bile non deesse ibi multos sanctos & electos Dei
 filios. Nostrum autem quiduis potius est, quàm
 cœmeteriũ, imò verò nihil est aliud, quàm qua-
 tuor aut quinque publicæ plateæ, & duo, tria ve-
 fora, adeo ut ferè nullus in vrbe locus sit tritior
 & irrequietior. Hac nocte diũq; tam pecudes,
 quàm homines transcurrunt. In hoc quisq; ex
 suis ædibus vel ianuam apertam, vel viam de-
 ductam habet. In hoc nihil non geritur, & for-
 tassis eiusmodi sæpe aliquid, quod dici non de-
 beat. Hinc fit, ut omnis reuerentia atque obser-
 uantia aduersus monimenta, quæ ibi sunt posi-
 ta, prorsus elanguescat, neque pluris æstimen-
 tur, quàm vile aliquod Golgotha, in quæ bru-
 torum cadauera abiecta sunt: vsque adeo ut ne
 Turca quidem tam irreuerenter sua cœmeteria
 profanari sinat, quàm nos nomine Christiani:
 cum, ut dixi, in hoc loco meræ pietatis, mortis
 & resurrectionis memoriam nobis renouare,
 sanctorum hinc decumbentium vitam meditari,
 & ipsorum manibus honorem deferre conue-
 niebat. Quomodo autem hæc commodè fieri
 queant in tam omnibus exposito ac prostituto
 loco?

loco? Profectò quod ad me attinet, si quis omnino honos quærendus est sepulturæ, æquè velim in Albi fluuio, vel in sylua sepeliri, quàm in tali cœmeterio. Sed si alibi seorsim extra urbem, in loco tranquillo & semoto, ad quem non passim omnibus esset ingressus vel transitus, tunc certè res omnino religiosa, honorabilis aspectu, sanctaque videretur, quæ accedentes ad studiū pietatis posset commouere. Atque hoc meum est iudicium. qui volet, sequatur: si cui melius aliquid fuerit reuelatū, fruatur suo sensu. Ego nullius sum Dominus. Hucusque sententia Lutheri, quam ego non tam eleganter, quàm fideliter & planè conatus sum interpretari, cum magni momenti res videatur, de qua agimus, & maioris quidem, quàm vulgò creditur. Quamuis enim de quibusdam populis referatur, quòd cōsueuerint suos mortuos in arculis compositos domi quisque suæ cōseruare, sicut nos æquè ferè ineptè in templis sepelimus, quæ sæpe vix publica via digni sunt: tamen id nimis barbarum est, & nisi multis pretiosis rebus bene condiantur, intolerabile.

Quòd autem ad situm & structuræ modum *Situs cœmeterij.* pertinet, rationi magis erit consentaneū, vt magis Septentrionem spectet, quàm Aultrum: & potiùs in editiori sicciore loco, quàm humili & humido loco erigatur. Nam vt dictum est antè, quum è cœmeteriis semper funestarum exhalationum copia oriatur, aeremque deprauet, situs

humilitas, & fundi humiditas non parum hanc noxam possunt augere: Quod illi testantur, qui ibidem lineamenta aliquando dealbant. Plerūque enim ingratum odorem ex eiusmodi locis contrahere deprehendunt: qua ratione similiter accidit, quod tam sæpe in depressis vliginosisque locis, coquinis, conuallibusque ignis quidam appareat lambens crines aut vestes, vt de puero

*Aeneid. 2.
De Vrbe cō-
dit. 1.*

Aicanio scribit Virgilius, & de Seruio Tull. Titus Liuius. Nascitur enim hic ex pingui quadam humiditate, aut viscosa pinguedine, quæ inibi copiosior est, vnde exsurgit exhalatio densior quidem, sed minus tamen calida, quàm vt supremam regionem aeris attingere, multò minùs vt superare possit. Quare ob loci frigiditatem deorsum pellitur, & vel per confricationem sui ipsius, vel per extremi frigoris ἀντιπερίσσειαν, vi proprii caloris accenditur. Quemadmodum etiam de vagabundo illo atque erratico igne, (quem nonnulli fatuum, Plinius Castorem & Pollucem, Græci πολυδέυκτα nominant) referunt, qui ambulantes noctu, præcipuè verò equitantes, vel nauigantes aut sequi, aut præcedere

*Ignis fa-
tuum.*

Mortuos

circa sepul-

chra vide-

ri, an sit na-

turale.

De Variet.

re. 16. cap.

93.

solet, nō sine horrore aliquo imperitorum, qui spectrum esse credunt, quum sit res planè naturalis & innoxia, quæque neminem offendat. Certum quia in huius physicae imaginis mentionem incidimus, libet illud miraculosum fabulamentum addere, quod refert Hier. Cardanus, de mortuis quibusdam prope sepulchra videri solitis.

solitis. Quod, ne quis me illi affingere putet, cum sit res penè incredibilis, ipsius verbis ascribam: Mortuos, ait, circa sepulchra videri in agris, & maximè iugulatos, nec profundius defossos, quique in vita fuerunt atroces, per noctem, & præcipuè ab his, qui hoc non ignorarunt, naturale prorsus est: cum humidum corpus hominis ac recens vaporem pro magnitudine sua constantem emittat, qui hominis refert imaginem. Unde olim concrematis corporibus, & in urna conditis, nihil tale videbatur. Hæc ille, auditu certè horrenda, sed visu multò magis, & quæ ego ad Dæmonis artificiosum ludibrium malim referre (ludit enim Sathan in hominum animis, & circulatorum more multa spectra facit apparere, quibus formidolosus vanum excitat metum, vel ad idolomaniam allicit) quàm ad rei naturalis veritatem, si modò reuera fiunt, quemadmodum fieri videtur. Quod etiam ex eo intelligi potest, quòd ab his, qui rem non ignorat, præcipuè videri affirmat. Istis enim faciliùs imponere potest Diabolus, quippe qui iam dudum animo suo ea volutarunt, ac sibi met ipsis cogitatione sua & vi imaginatrice talia *φαντάσματα* harum rerum *φαντάσματα* concipiunt & pariunt, vt quod in proprio cerebro sibi impresserunt & informarunt, extrinsecus videre se putent: quod in ictericis & melancholicis non est nouum. Fortibus autem viris rarò aut nunquam spectra talia apparere, quòd hæc propter animositatem minimè timeant aut

*De præstig.
dam 2. ca.
24.
Hipp. de
Virg. morb.*

imagentur illi quidem, testatur Theodorus Byfantinus, & post hunc clarissimus medicus Johannes V Vierus. Quamobrem si addidisset Cardanus, à pueris, mulieribus, vecordibus, mollibus, atque ægrotis, qui propter imbecillitatem animi & corporis, assidua formidine, vanisque insomniis quatiuntur, huiusmodi spectra frequentius cerni, facilius apud me fidem inueneret, quod refert. Nunc verò non possum non veris Luciani narrationibus annumerare. Sed his non est diutiùs insistendum, si hoc solùm adiecero, eos, qui sic omnia ad naturam referunt, non rarò suo errore se frustra oblectare, & Helenæ imaginem pro ipsa Dea amplecti: cum plurima eiusmodi portentorum, sæpiùs dæmonum præstigiis (vt dixi) pleráque etiam diuinopotiùs miraculo fiant, quorum homines rationem reddere nequeunt, quàm causa aliqua naturali. Cõdonabit ergo mihi Cardanus doctissimus vir hanc contradictionẽ, quippe cum ipsius etiam testimonio, semper dubitare liceat de veritate generali, quantumcunque bonus vir sit, qui eam asserat.

Quòd autem ad Septentrionem cœmeteria collocanda dixi, eandem habet causam, quæ de lœmodochiorum ædificatione dicta est. Ventus enim qui hinc flat, sua tenuitate & puritate consumit facilè, ac dissipat vapores omnes crassiores & turbidos, aeremque purificat. Quare non deferet vllum funestum odorem, vel halitum
perni-

perniciosum in urbem, quem oriri solere in talibus locis probauimus.

Deinde etsi minutum sit: tamen ut rei naturæ omnes consentiant circumstantiæ, figura rotunda, non quadrata, aut alia inducenda est, & muro lapideo cingendū. Quid ita? an quia hæc figura omnium est capacissima? an verò quia perfectissima? cum aliæ omnes in hac inueniantur? utrâque sanè de causa, sed prior minoris momenti est, posterior significationem habet elegantior. Cum enim sæpe multi inhumandi sint, præsertim eo tempore, vtile erit, spatiū esse amplum, ne alia nondum satis antiquata sepulchra rursus effringi & aperiri oporteat, & semiputrida cadauera denudari, quod triste & abominabile fuerit, periculūque affert inquinandi aeris. Figuræ autem rotunditas perfectionem indicat, tum quam adepti sunt, qui ibi recubāt, tum quam adhuc expectant. Quæ ratione cælū ipsum rotundum, & qui diui à nobis habentur, ac beatæ æternitati consecrati sunt, his rotundā figurā apingere solemus. Circuli enim, vel spheræ nullus est finis. Item significare quoque poterit, id quod Græci dicunt: πάντα ἀνθρώπινα κύκλῳ. Quando enim omnia quæ sub cælo sunt, ad primum quodam modo motum se gerant, ab ipsa vita, tanquam ab oriente, ad mortem, velut ad occasum vergentia, circulum suū vnà cū vniuersa latione absoluunt: quemadmodum ille, qui reuersus est, vnde exiit, cursum & circu-

*Figura cæ-
metorij ro-
tunda.*

*Aristot. in
probl. sect.
17. probl. 2.*